



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

Solutio difficultatu[m]. Cap. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

magis spirituosam; vt puta facultatem videnti, audiendi, & appetendi, quemadmodum de Dæmonibus se habere putandum est. Ideo in Phædro, currum animæ cum equis eleuari in cœlum, asseritur; equi autem sunt facultates appetendi: equus bonus est appetitus honesti, & timor pudoris; malus verò est appetitus libidinis, & concupiscentiæ. Sed dubitatio remanet de iumentis, & feris; quæ se movent, sunt præditæ capite seiuncto à pectore; in quo pars diuina residet, vt dicitur in Timæo: pariter sunt præditæ cerebro, quod à Platone in Timæo dicitur medulla; in qua velut in agro, diuinum semen, hoc est anima rationalis sumpta ab opifice mundi, erat iaciendum, &c.

*Solutio difficultatum:*

CAP. X.

**R**efectio si ad communia Platonis dicta, & ad externa verba respiceremus; difficile esset seruare, quomodo in iumentis, & feris aliæ animæ facultates sine ratione inuenirētur; si alię sunt vimbæ, & vestigia rationis. Attamen, pro aperienda eius sententia, dicendum est; à mundi, vel sphærarum animis, in feris gigni proprias earum animas, instrumento tamen propriæ animæ singularum; quæ cum verè generentur, etiam intereunt. Et dum dicitur; Plato asserit omnem animam esse immortalem: dico, id



id debere intelligi de rationali; quæ sola propriè, & absolutè est anima. Dū additur, quòd etiam iumentorum animæ se mouent: dico, se mouere, non tãquam prima principia motus; sed quia sunt vestigia, & vmbra animæ rationalis, vel mundi, vel suæ spheræ: sic ratione sui primi principij sunt immortales. Sola anima rationis compos, verè, & primò se mouet; vt etiam sola est libera, & primò est rationibus prædita, & per se subsistere valens; cùm cæteræ vitæ postremæ, solùm cum corpore, & dependentia ab eo, subsistant; ideo seipsas primò mouere non videntur. Ad confirmationem sumptam ex 10. de Legibus, patet solutio: iam enim patuit animam rationalem comitari vim sentiendi, & appetendi in spirituoso vehiculo. Ad cõfirmationem sumptam ex Phædone, quia animæ propria est vita: respondeo, animæ rationalis propria est vita, non cū morte permixta; ea verò irrationalis animæ, est potiùs vmbra, quàm verè vita, & est pendens à vita animæ rationalis; & propterea solùm æterna est, vt suo principio, & fundamento nititur: vita, animæ rationalis animam comitatur, quæ oppositi non est capax; ea verò, quæ est vmbra vitæ, in corpore recipitur, quod vtriusque oppositi est capax. Ad auctoritatem ex Philebo depromptam, vbi videtur asserere omnem animam esse portionem animæ mundi, dicendum: quòd, vt corpus est pars vniuersitatis corporum, ita tamen, vt sit numero ab



aliis distinctum; ita vnaquæq; anima est pars, non quidem animæ mundi, sed vniuersitatis animarum: in hoc est vera ea similitudo considerata à Platone. Ad Auerrorem dicendum est, quòd errauit cum illis, qui perperâ assumpserunt sententiam Platonis; vt etiam decepti sunt Stoici, & Manichæorum illi, qui putarunt animas nostras esse portiones Dei. Ad confirmationem sumptam ex transitu animæ hominis per corpora iumentorum, & ferarum; respondeo transitum illum, partim esse allegoricum, quatenus homines ducentes vitam ferarum, in feras transire dicuntur; partim esse moralem, vt per eum nos deterreamur, & abstineamus à vitiis; partim demum esse verum, & ex sententia prolatum: nam etiam viri Sancti diuersa animarum in hoc mundo purgationis genera concesserunt; ideo etiam Plato, quamuis còfusè, & sub nube, modo aliquo purgatorium cognouit. At dum animæ adsunt iumentis, non propterea eis insunt, nec iumentorum sunt animæ; nam tunc in iumentis etiam propriæ eorum animæ à rationali distinctæ inueniuntur. Et pro huius confirmatione considero pulchrum locum in Phædro, vbi inquit Plato; animas delinquentium hominum, meare quidem per corpora iumentorum; at eas iumentorum, non meare per corpora hominum. verba hæc sunt: Hinc & in bestia vitam humana anima transit, ex bestia rursus in hominem; si modò anima quandoque



que prius fuerit hominis: nam quæ nunquam  
veritatem inspexerit, in hanc figuram venire  
non poterit, &c. manifestè Plato per hæc indi-  
cat animam ferarum distingui ab ea hominis,  
nec meare per hominum corpora. Et dum po-  
stremò dicebatur, feras esse præditas capite,  
& cerebro, & consequenter anima Diuinita-  
tis compote ibi residente ex sententia Plato-  
nis: Dico animam rationalē residere quidem  
in capite, & in cerebro: non tamen econtra,  
omne residens in capite esse animam rationa-  
lem: in iumentis, & feris, vis sola sentiendi in  
capite posita est, saltem ratione instrumento-  
rum, quibus utitur: non autem anima rationis  
particeps: & iurè quidem: quia caput, & cere-  
brum omnibus suis numeris absolutum, soli  
conuenit homini: adeò, vt dicere valeamus,  
hominem solum esse capite, & cerebro prædi-  
tum: cætera non, nisi æquiuocè. Colligamus  
itaque, ex Platonis sententia, humanas animas,  
cùm à Deo, tum à mète esse distinctas: nume-  
roque inter se, & ab anima mundi secretas: &  
absolutè, ac verè animâ esse rationalem: eam-  
que solam esse æternam: cæteras esse postre-  
mas vitas, & animæ umbras, & mortales. Ex  
sensibus illi soli sunt æterni, qui rationalem  
animam comitantur: & ab ea non substantia,  
sed ratione distinguuntur, ac vehiculo pro in-  
strumento utuntur. Conuenit Arist. cum Pla-  
tone in eo, quòd ambo asserunt solam animam  
rationalem esse æternam: dissentiunt tamen:



quoniam Plato ab anima rationali cæteras animas produci existimat, & iurè quidem; cum semper gradus inferior à superiore pèdeat, & ducatur: Arist. tamen ferarum animas ab anima aliqua rationali pèdere minimè existimat.

*De Vehiculis Animarum.*

CAP. XI.



ENS, cum verè sit, à corporis fluxu est secreta; cum sit lux pura, à corporis tenebricosa labe longè distat, nec corporeo vehiculo eget: ex aduerso Natura adeò in crasso corpore est immersa, & cum materia complicata, vt sine ea existere non valeat. Anima, quia media est, medio quodam modo erga corpora est affecta: ea nanque cum corpore familiaritatem habet, & ad corpus est procliuis; præsertim tamen ad id, quod purum, nitidumque est, & secum quodam familiaritatis nexu complicatù; quod tamen aliqua latitudine præditum est. Hoc cum mediet inter corpora crassa, & animam; iurè, veluti nexus, animas cum crasso corpore ligat: non enim extrema sine convenientibus mediis neftuntur. Hinc quoque euenit, quòd varia animæ vehicula assignantur; nonnulla proximiùs, alia remotiùs cum anima complicata. Vehiculum animæ familiarissimum, est æthereum, siue igneum; quod duplex est: nam & stella primò animæ destinata, à Platone in Timæo vehiculù eius nuncupa-